

et consortem et conformem tuum adjuves. Tu nummum largiris, ille vitam accipit: tu pecuniam das, ille substantiam suam aestimat. Tuus denarius, census illius est. Ad haec plus ille tibi confert, cum sit debitor salutis. Si nudum vestias, te ipsum induis justitiam. Si peregrinum sub tectum inducas tuum, si suscipias egentem: ille tibi acquirit sanctorum amicitias, et aeterna tabernacula. Non mediocris ista gratia. Corporal'a seninas, et recipis spiritualia. Miraris iudicium Domini de sancto Job? mirare virtutem ejus, qui poterat dicere: Oculus eam caecorum, pes claudorum. Ego eram infirmorum pater, velleribus agnorum meorum calefacti sunt humeri eorum. Foris non habitabat peregrinus: ostium autem meum omni venienti patebat. Beatus plane, de cuius domo nunquam vacuo sinu pauper exivit. Neque enim quisquam magis beatus, quam qui intelligit super pauperis necessitatem, et infirmi atque inopis aerumnam. In die judicii habebit salutem a Domino, quem habebit suae debitorem misericordiae.

NON EXTERNIS, SED INTERNIS BONIS AESTIMATUR FELICITAS.

Sed plerique revocantur ab officio dispensatricis misericordiae, dum putant hominis actus non curare Dominum, aut nescire eum quid in occultis geramus, quid teneat nostra conscientia: aut iudicium ejus nequaquam justum videri, quando peccatores divitiis abundare vident, gaudere honoribus, sanitate, liberis: contra autem justos inopes degere, inhonoros, sine liberis, infirmos corpore, luctu frequenti. Nec mediocris ea quaestio, quandoquidem tres illi reges amici Job, propterea eum peccatorem pronuntiabant, quia inopem factum ex divite, orbatum liberis ex foecundo parente, perfusum ulceribus, inhorrentem vibicibus, exaratum vulneribus a capite usque ad pedes videbant. Quibus hanc sanctus Job proponit assertionem: Si ego propter peccata mea haec